

ligentes ex sac. Scriptura. Quæ n. 58 tenent Genebrardus, Frassen., Tostatus et plurimi Patres tam Græci quam Latini ac etiam plerique Hebræi, apud Malvendam, et ad id adducitur etiam Eusebius et S. Hieronymus. Quæ n. 59 excerpta sunt ex Abulensi, Vincentio Fuga, Frassen allegante S. Augustinum et Mosen Barcepha. Quæ n. 60 tradunt S. Epiphanius, S. Augustinus, Tertullianus, Sixtus Senensis, Delrius, Bellarmin., Gregorius Valentia, Malveda, Suarez et fere omnes, tum veteres, tum recentiores, ut testatur Tirinus eruditissimus, asserens, id tenere sanctos Irenæum, Isidorum, Hieronymum, Justinum et S. Thomam et etiam Abulensem, Cornelium a Lapide, Salianum, et novissime tradidit piissimus et eruditissimus Clericatus nelle *Spiche raccolte*, vulgari idiomate, verb. *Elia* et *Enoc*, ubi ex historia chronologica nostrorum Franciscanorum religiosorum Jerusalem scripta a Patre Joanne a Caloira observantis provincie Burgensis, lib. II, cap. 4, refert mirabilem successum nostri ven. fratris Benedicti ab Aretio, ab angelo in paradysum terrestrem translatis, indeque incolumis ad portum civitatis Anconæ et a me *ibidem* n. 61 ad corroborationem, et ut jacet, ex ipso transcriptum. Unde si theologo nostro cum suis doctis viris tacito nomine allegatis, non probantur tradita a n. 56 ad 62, sufficit mihi quod prius fuerint probata et tradita a tot Patribus et doctoribus undequaque omni eruditione et virtute præstantibus a me citatis. Quod ego sub n. 69 adducam verba Martyrologii Romani pro asserendo anno Nativitatis Christi, sine ullo criterio, quod est extra meum institutum, venio potius commendandus quam censurandus cum ex documento Seraphici mei Patris S. Francisci velim in omnibus et per omnia sequi Romanam Ecclesiam, quæ, relicto omni criterio, de anno nativitatis Christi tenet, et ser-

## MUNERA SEU DONA.

Vid. verb. XENIA.

## MUSICA, MUSICUS.

## SUMMARIUM.

1. Musica in ecclesiis est de jure permissa. — 2. Episcopus non potest prohibere, ne in ecclesiis fiat musica. Bene tamen potest præcipere musicis, quod non canant, nisi verba sacra et musica sit devota et ecclesiastica. — 3. Neque potest episcopus prohibere musicis; ne canant in illis ecclesiis, ubi non regit magister capellæ cathedralis. — 4. Neque, quod musici non accedant ad canendum sine sua licentia. — 5. Prohiberi non debet musicis usus fistulæ, seu corniculæ, quæ viget etiam Romæ. — 6. Musica non decet in officio Quadragesimæ, præsertim cum instrumentis, et si est occasio alicujus scandali. — 7. Musica in luctu importuna narratio. — 8. Conceditur licentia regulari, ut possit esse magister capellæ, seu cantor cathedralis, vel alterius ecclesiæ. — 9. Non conceditur, quod moniales possint a viris doceri cantum, seu musicam, vel sonum, nec ad crates, nec ad portas. — 10. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. — 11. Occasione musicæ nulla monialis eximi potest a choro, vel ab one-

vat universaliter et ubique, ut canit in ipso Martyrologio. Fontes autem a quibus ego mea asserta hausi nequaquam sine injuria dicendis turbidi, nisi quis turbidis oculis eos ut turbidos apprehenderit. Quæ ego trado de rotunditate terræ, dicit noster theologus esse jam antiquata et tamen ea sustinent etiam inter alios Purchotius, tom. III, part. II, sect. 4, cap. 1, et Pater Fortunatus a Brixia, in *Philosophia sensuum mechanica* tom. II, tract. 1, sect. 2, dissert. 1, propos. 1, scholio 2, ubi, adductis contrariis opinionibus cum suis præcipuis fundamentis in § *Verum* sic expresse concludit: « Verum ejusmodi momenta tanti neutiquam sunt, ut a communi in physica de telluris rotunditate sententia nos recedere cogant. » Prius theologus noster dixerat: « Cum Purchotio vel Patre Fortunato a Brixia utitur, inoffenso pede Ferraris legi potest, » nunc non sibi constans vult, opinionem de terræ rotunditate esse antiquatam, quamvis a tantis auctoribus traditam et novissime defensam a dictis Purchotio et Fortunato quibus ipse jure merito fidei. Tandem theologus noster pro sua comitate concludit: « Cætera Ferraris sphalmata quisque primo intuitu cognoscet. » Ast vero rite perpensis omnibus a me ibi adductis ad cuncta mea asserta probanda, censent æqui rerum æstimatores indebitam, injuriosam atque indignam datam ipsi a theologo nomenclaturam, ipsumque amandant ad præfationem recol. mem. Benedicti XIV, sui primi tom. *De synodo diœcesana*, § *Porro*, ubi inter alia sic expresse habet: « Nihil contumeliose jacentes in alios quantumvis ab opinione nostra longe dissentiant; id enim homini Christiano indignum et honesto viro indecens existimamus. Neque vero minus valde unumquemque sententiam suam tueri posse censemus si ab aliorum contemptu et injuria absteineat. »

ribus monasterii communibus. — 12. Musica in ecclesia exteriori monialium pro aliquibus principalioribus festivitatibus toleranda est, ubi adest talis consuetudo; secus vero non. — 13. Episcopus prohibere potest ne musica in ecclesiis canatur lingua vernacula. — 14. Cantiones vulgari sermone in festo sanctissimi sacramenti cantare non convenit. — 15. Musici conducti a capitulo pro cantu ecclesiæ possunt ab illo expelli ad instar famulorum absque ulla causa. — 16. Musici ecclesiæ cathedralis gaudent privilegio fori. — 17. Musici qui non sunt de gremio capituli debent cedere præcedentiam clericis beneficiatis. — 18. Musici non excusantur a jejuniis ratione cantus, nisi per illud voces corrumpent, et redderentur inhabiles ad canendum. — 19. Organorum usus quando inceperit in ecclesiis; ad n. 20. — 21. Organa et instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis defunctorum. — 22. Pro complemento afferuntur quædam ex Sap. Tostato. — 23. Alia ad rem ad n. 30. — 51. V. verb. CANTIONES.

(1. Ut honorificetur Deus in sanctis suis, musica in ecclesiis est de jure permissa textu expresso in extravag. *Docta*, unic. De vita et honestat. cleric., et tradunt communiter doctores cum Pignatell., tom. III, consult. 41, per tot. Unde *Ecclesiastici* XLII, 5, habetur non esse impediendam musicam, ibi: *Non impedias musicam*; et *ibidem*, XLVII, 11, commendatur David eo quod *stare fecit cantores contra altare et in sono eorum dulces fecit modos*.

(2. Hinc episcopus non potest præcipere quod in ecclesiis non fiat musica (exceptis monialibus), sed bene poterit musicis præcipere quod non canant nisi verba sacra et quod musica nihil immodestum, aut turpe sapiat, et tota sit devota et ecclesiastica, prout jussit Alexander VII 23 Aprilis 1657 et Innocentius XII 20 Augusti 1692.

(3. Neque potest episcopus prohibere musicis ne canant in illis ecclesiis ubi non regit magister capellæ cathedralis. Sac. congr. Episcoporum. 11 Martii 1648. (4. Neque quod musici non accedant ad canendum sine sua licentia ut contra edictum episcopi Aquilani talia prohibentis rescripsit sac. congregat. Episcoporum. et regularium. 2 Decembris 1695, referente emin. card. Petrucci.

(5. Prohiberi non debet musicis usus fistulæ seu corniculæ qui viget etiam Romæ, non obstante decreto concilii provincialis, quando non fuit receptum neque in metropolitana. Sac. congr. Episcoporum. et Regul. in *Bergomen*. 22 Novemb. 1593.

(6. Musica non decet in officio Quadragesimæ præsertim cum instrumentis, et si est occasio alicujus scandali. Sac. congregat. Episcoporum. in *Patavina* 27 Martii 1601, apud Nicol., in *Floscul*. verb. *Musica*, n. 3. (7. Unde *Ecclesiastici* XXII, 6, dicitur: *Musica in luctu importuna narratio*.

(8. Conceditur licentia regulari, ut possit esse magister capellæ vel cantor cathedralis vel alterius ecclesiæ. Sac. congregat. Episcoporum. et Regular. in *una Augustinen*. *Lombard*. 28 Januarii 1606, et in *alia Servitarum* 22 Februarii ejusdem anni.

(9. Non conceditur quod moniales possint a viris doceri cantum seu musicam vel sonum, neque ad crates, neque ad portas. Sac. congr. Episcoporum. in *Agrigentina* 23 Aprilis; in *Parmen*. 8 Maii, et in *Regien*. 23 Julii 1602; in *Maceraten*. 17 Februarii, in *Messanen*. 10 Junii, et in *Anconitana* 15 Septemb. 1603; in *Neapolitana* 8 Novembr. 1604 et 3 Julii 1647, apud Nicol., l. c., n. 5. (10. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. Ead. sac. congr. Episcoporum. 2 August. 1647; 5 Januar. 1649; 21 Januar. 1650.

(11. Occasione musicæ nulla monialis eximi potest a choro vel ab oneribus monasterii communibus, sub pœna privationis veli vocisque activæ et passivæ et aliis arbitrio sacre congregationis. Eadem sacra congregatio Episcoporum. in *Anconitana* 15 Septemb. 1603.

(12. Est decretum generale sacre congregationis esse tolerandam musicam in eccle-

sia exteriori monialium præsertim in quibusdam festis principalibus, ubi est talis consuetudo; ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. Ead. sac. congreg. Episcoporum. in *Neapolitana* 10 Novem. 1582.

(13. Vigore decreti concilii cap. 8, sess. XXII, *De celebratione missar.*, non obstante quacunque contraria consuetudine, poterit episcopus prohibere ne in ecclesiis et oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint. Sac. congr. Rit. in *Hisp.* 3 Septemb. 1695 et 24 Novem. 1696, referente eminentiss. card. Colloredo, in responsione ad quartum; quia cantus hujusmodi est contra ritum Ecclesiæ. (14. Et eadem sac. congr. Rit. in *una Abulensi* 21 Mart. 1609, jam decreverat, quod cantiones vulgari sermone in festo sanctissimi sacramenti cantare non convenit.

(15. Musici conducti a capitulo pro cantu ecclesiæ possunt ab illo expelli ad instar famulorum absque ulla causa; Rota in *Majoricensi*, *juris amovendi musicos* 14 Januar. 1729, per tot., coram Molino. Sic refert Ursaya, in *Miscellaneo sacro et profano*, part. II, verb. *Musici*.

(16. Musici ecclesiæ cathedralis gaudent privilegio fori. Sac. cong. Immun. in *Beneventana* 28 Novemb. 1653, apud Pignatell., tom. IV, consult. 90, n. 11.

(17. Musici, qui non sunt de gremio capituli in processionibus et aliis actibus publicis, non debent præferri clericis beneficiatis. Unde non debent incedere cum beneficiatis, sed immediate post crucem, non obstante consuetudine. Sac. congr. Rit. in *Urbeventana* 20 Novemb. 1610 et 15 Januar. 1621, et in *Vigilien*. 8 Octob. 1650, apud Pignatell., cit. consult. 90, a n. 1.

(18. Musici non excusantur a jejuniis ratione cantus, nisi per illud voces corrumpent, et redderentur inhabiles ad canendum, quia tunc paterentur grave incommodum, cum vivant ex voce grata. La Croix, l. III, p. II, n. 1349, cum aliis ibi citatis.

(19. Organorum usum in ecclesiis incepisse tempore Vitaliani Papæ circa ann. Domini 660, refert ex Platina Pignatell., t. III, consult. 41, n. 8, ubi dicit hanc esse veriore et communiorem sententiam. Alii autem apud Crosolium in *Mystagogo*, lib. III, cap. 27, organa incepisse audiri in ecclesia, permittente S. Damaso Pontifice, qui creatus fuit Sum. Pontifex 13 Sept. anno 367. \*Organorum mentio fit a Juliano Halicarnaseo secta Eutylichiano, qui sæculo quinto cadente floruit, ad cap. xxxi *Job*, in Junii Patricii *Catena Græcorum Patrum*, et ab antiquiore Prudentio in *Apoth. adv. Jud.* Sala tamen in *Bonam*, tom. XI, p. 380, hæc satis verisimiliter ait, non tam fuisse organa instar nostrorum pneumatica, quæ folliibus inflantur, quam psalteria ex sistris, seu calamis compacta. Verum, an de psalteriis intelliget Sala illud quoque Augustini in *Ps.* LVI, « organum dicitur, quod grande est, et inflatur folliibus; » et quæ de organis tradit

Isidorus *Etymol.*, lib. XII, c. 21? Illud fortasse facilius creditur foret, fuisse isthæc privatorum organa, neque ad ecclesiasticum usum traducta. Venantius tamen Fortunatus, qui, vergente ad finem sæculo VI floruit, in *Vita S. Germani*, Parisiensem Ecclesiam organa, cujusmodi nostratia sunt, habuisse testatur hisce carminibus:

...Exiguus attemperat organa cannis,  
Inde ructat ab ore tubam.

(20. De Vitaliano Pontif., quod auctor fuerit, id quidem in vulgi ore est; hoc tamen, inquit Ferrarius in *Sanctis Italiae*, cum Ecclesia Romana organis minime utatur præsentem Pontifice, minus probabile videtur. Octavo sæculo in Gallis plane ignorabatur ante Pipinum, cui a Constantino imperatore dono missa fuerant, acceptaque veluti numquam visa, ut narrant Sigebertus ann. 766, Annalista Metensis ann. 757, et Eginhardus, in *Vita Caroli M.* Ipso autem illo sæculo VIII organis, et organistis Romanæ Ecclesiæ adeo instructæ erant, ut Monachus Engolismensis in ejusdem *Caroli Vita* testetur, a cantoribus Romanis, qui in Gallias migrarant, fuisse Gallos in arte organandi institutos. Veronensem quoque Ecclesiam, Carolo M. imperante, organum habuisse ex quibusdam chartis ab Ughellio redditus Cangius colligit. Quod tamen mireris, labente sæculo IX organorum artem Roma paulatim dediderat. Id satis indicat Joannes VIII qui epistola ad Annonem episcopum Frisingensem eum rogat, ut « optimum organum cum artifice, qui hoc moderari, et facere ad omnem modulationis efficaciam possit ad instructionem musicæ disciplinæ ipsi aut deferat, aut cum eisdem redditibus mittat. » Hinc enim perspicuum fit, sæculo IX neque organum, neque qui illud pulsaret, Romæ existisse. Baleus tradit, organi usum circa ann. 660 a Vitelliano Angliæ episcopo primitus in Anglicanam Ecclesiam invecum fuisse; sed huic auctori non admodum fidendum est, et fortasse, quod liber Pontificalis, Platina, Leander, Albertus, alique Vitaliano Romano Pontifici tribuerunt, Vitelliano suo liberaliter ascripsit. In ecclesias Græcas nunquam fuisse organa recepta, ex omnium Græcorum liturgicorum librorum silentio discimus. Neque in omnibus adhibebantur, ut satis constat ex S. Thoma 2-2, quæst. 91, art. 2; imo sæculo XII S. Ælredus Rievallis abbas, S. Bernardi olim discipulus, organa Judæis propter eorum inertiam, socordiam, languidumque animum concessa, a Christianis docuerat haud esse adhibenda: cum ipsis loco organorum corpore uti liceat, ubi singula hominis membra ea faciant, quæ Deo gloriam, et laudem afferunt. Narrat Vantilius, Bernardum quemdam natione Germanum, qui ann. 1480, Venet. organum pulsans agebat, organis *pedalia* addidisse. Confer quæ de organis disseruerunt clariss. viri Emmanuel de Azevedo, *Diss. de cantus eccl. orig. et forma*, Franciscus Xaverius Zecch., *De campanis, et instrumentis musicis*,

et Petrus Pompilius Rodota, in commentario ad epistolam encyclicam Benedicti XIV, datam die 29 Februarii an. 1749, p. 45, n. 10. Utinam vero servaretur in omnibus Ecclesiis Senonensis concilii caput 17, quo cavetur, ne « in Ecclesia organicis instrumentis resonet impudica aut lasciva melodia; sed sonus omnino dulcis, qui nihil, præter hymnos, et cantica spiritualia, repræsentet. » \*

(21. Organa, et quæcunque alia instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis defunctorum. Sic Benedict. XIII in *Concil. Romano*, tit. 15, cap. 6.

(22. Pro complemento afferuntur quæ de musica habet sapientissimus Tostatus tom. I, in *Genes. in Epistolam divi Hieronymi ad Paulinum*, cap. 6, verb. *Musici*, ibi: « Musica enim harmonicis vocibus, tubarum flatibus, et pulsilibus concrepat organis. » De hoc ait Augustinus: « A terra usque ad cælum mensura celestis musicæ mensuratur: est namque in terra, *Gama ut*, in luna *Are*, in Mercurio *Be mi*, in Venere *Ce fa ut*, in sole, *De sol re*, in Marte *E la mi*, in Jove, *Ef fa ut*, in Saturno, *Ge sol re ut*; sunt namque a terra usque ad firmamentum septem toni; a terra usque ad lunam, est unus tonus; a luna usque ad Mercurium est semitonium; a Mercurio usque ad Venerem est semitonium; a Venere usque ad solem, sunt tria semitonia; a sole usque ad Martem, est unus tonus; a Marte usque ad Jovem, est semitonium; a Jove usque ad Saturnum, est semitonium; a Saturno usque ad firmamentum, sunt tria semitonia, quæ universa conjuncta septem tonos efficiunt: tonus autem secundum quosdam continet quindecim millia miliaria. » Hæc ille, qui in *Josue* cap. x, qu. 14, addit sic: « Philosophi tamen dicunt, esse in cælo omnes proportionem harmonicas musicorum, et esse tonos, atque semitonia. Non quidem, quod ibi sit aliqua vox, secundum quam considerantur istæ proportionem: sed accipiuntur isti toni, et semitonia, vel proportionem vocum secundum duo, scilicet secundum magnitudinem et proportionem distantie cæli unius ab altero, computando a superficie concava cujuslibet, usque ad convexam, et quia non sunt omnes cæli æquales in magnitudine; et proportio magnitudinis, et distantie planetæ a planeta, et secundum hoc a quibusdam planetis ad alios sunt semitonia, ab aliis vero ad alios sunt toni integri; sicut describit Marcianus, Mineus Felix Capella, lib. II *De nuptiis Mercurii et Philologiae*. » Hæc ibi.

(23. Musici instrumenti sonatores Christiani prohibentur inservire in infidelium festivitibus, et sacrificiis. Benedictus XIV in constitut. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3 et 14.

(24. Musicus cantus et musicalia instrumenta sunt in usu in ecclesiis, quibusdam exceptis, id est capella pontificia et ecclesia Lugdunensi. Bened. XIV, constitut. incip. *Annus*, § 4. Nonnulli graves viri musicam in

ecclesiis laudant, alii improbant. Idem, *ibidem*, et § 4 et 5.

(25. Musica non erat in usu in ecclesiis S. Thomæ Aquinati cognitis. Idem, *ibid.*, § 4. Cardinalis Thomasius illam vetuit in sua titulari ecclesia. Idem, *ibid.* Marcellus secundus Papa eamdem abolere deliberaverat, sed audita in missis musica excellentis auctoris ad pietatem apta, voluntatem mutavit. Idem, *ibid.*, § 5.

(26. Musicam prohibere concilium Tridentinum proposuit, sed Cæsareis legatis suadentibus, illam, dummodo honestam, toleravit. Idem, *ibid.*, § 5. Musicus ecclesiarum cantus, debet a theatri differre. Idem, *ibid.*, § 6, ac talis esse, ut verba distincte proferrantur, et intelligantur. Idem, *ibid.*, § 9.

(27. Musica periti fuerunt nonnulli Romani Pontifices, id est Gregorius Magnus, Leo II et Leo IX, et Victor III. Idem, *ibid.*, § 7. Musici cantores in sacris functionibus legem chori sequi debent. Idem, *ibidem*, § 9.

(28. Musica instrumenta in Veteri Testamento adhibebantur, et aliquid figurabant. Idem, *ibidem*, § 4. Vetus Ecclesia ea non adhibuit, ut Christiani longius recederent a profanis ritibus gentium illa adhibentium. Idem, *ibidem*, § 5. Nunc autem harmonici cantus usus usque ad Paraquariam pervenit. Idem, *ibidem*.

(29. Musica instrumenta quædam permittuntur in musicis ecclesiasticis, alia prohibentur. Idem, *ibid.*, § 11, ubi hæc tradit: « Hominum prudentum et illustrium magistrorum artis musicæ consilium exposcere nobis curæ fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut fraternitas tua, si in tuis ecclesiis instrumentorum usus introductus fuit, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fideulas, lyras tetracordes: hæc enim instrumenta inserui ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas,

fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus, quæ musicam theatralem efficiunt. » Et vulgari idiomate sic: « Non abbiamo tralasciato di ricercare il consiglio in Roma, e fuori di Roma d' uomini assennati, ed insigni maestri di cappella; e coerentemente al loro consiglio, quando nelle sue chiese sia introdotto l' uso degli strumenti, non ammetterà coll' organo altro, che violoni, violoncelli, fagotti, viole, violini, che servono per rinforzo maggiore di quelli, che cantano: E bandirà i timpani, i corni da caccia, le trombe, gli oboè, i flauti, i flautini, i salterii moderni, i mandolini, i simili strumenti, che non servono, che per rendere la musica teatrale. » Et eorum sonus talis sit, ut cantum juvet, non opprimat. Idem, *ibid.*, § 12. Musica apud Hebræos usitata fuit in templo, non in theatris. Idem, *ibid.*, § 10.

(30. Musica in ecclesiis improbatore tempore majoris hebdomadæ, aliisque diebus. Olim in ecclesia Lucensi per idem tempus adhibita, ab Alexandro zelantissimo ejus episcopo vetita fuit. Cum autem quidam exempti ab episcopi jurisdictione se episcopali lege minime teneri prætenderent, episcopus rem detulit ad Summum Pontificem S. Pium V, qui in ejus brevi dato 4 April. 1571, deplorata primum humanarum mentium, et carnalium hominum cæcitate, qui mundanarum oblectationum illecebris, et sensuum voluptatibus se regendos, ferendosque tradunt sacris illis diebus, laudato episcopi edicto, decretis concilii Tridentini inhærens declarat, eodem edicto comprehendendi, atque obligari etiam ecclesias, quæ ab auctoritate ordinaria, privilegio apostolico, vel alio quocunque jure exemptas se esse contendunt. Idem, *ibid.*, § 13, ubi subjungit, quod in concilio Romano habito anno 1725, tit. 15, num. 6, varia leguntur decreta de usu musici cantus, instrumentorumque in Adventu, in Dominicis Quadragesimæ, et in exsequiis mortuorum.

(31. Alia ad rem, *Vide* verb. *CANTIONES*.

## MUTUUM.

## SUMMARIUM.

1. Mutuum unde dictum? — 2. Mutuum quid sit? — 3. Mutuum dare, et accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere. — 4. Civitas, ecclesia, monasteria, et alia pia loca non obligantur ad restituendum, et solvendum mutuum, quod eorum rectores, seu administratores acceperunt, nisi creditor probet, mutuum in civitatis, vel ecclesiæ, seu aliorum piorum locorum utilitatem conversum fuisse. — 5. Filii, vel filiaefamilias, si sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum tenentur ad restitutionem mutui. — 6. Filiaefamilias non obligantur ad restitutionem mutui, etiamsi 25 annum suæ ætatis excedant. — 7. Filiaefamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod ipsis viventibus acceperunt. — 8. Tale privilegium valet non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori conscientie. — 9. Excipiuntur multi casus in quibus filiaefamilias, et quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere. Primus igitur casus est,

quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia. — 10. Secundus casus est, quando pater approbat mutuum acceptum a filio, vel filius mutuum accepit jussu patris, seu ipso sciente, et non contradicente, et pater erat solitus solvere mutuum filii. — 11. Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris. — 12. Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, et insumpsit in commodum, et utilitatem patris. — 13. Quintus casus est, quando filius mutuum accepit ob causas, propter quas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare. — 14. Sextus casus est, quando filius tempore mutui accepti erat militiæ addictus. — 15. Septimus casus est, quando filius mutuo accepit non pecuniam, sed aliam rem, dummodo sine ulla fraude legis. — 16. Octavus casus est, quando filius non accepit mutuum, sed fidejubeat pro mutuatario, sine fraude legis. — 17. Præcis supradictis casibus, filiaefamilias non tenentur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedoniani. — 18. Imo filiaefam-